



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. Omnes Christiani debent-ne offerre Sacrificium Deo?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

post Presbyteros in Ecclesia, non habent potestatem offerendi Sacrificium.

Conc. Trid.  
sess. 21. De  
Sacrif. Missæ.  
Can. 2.

Et Concilium Tridentinum ait: *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, alique Sacerdotes offerrent Corpus & sanguinem suum, anathema sit.*

S. Cypria.  
Epist. 63.

S. Cyprianus ait: *Nam si Jesus-Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & seipsum primum Sacrificium Patri obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur.*

Ex quo patet, solum Sacerdotem esse legitimum Ministrum Sacrificii Missæ, quod Dominus noster Jesus-Christus instituit præcipiendo Sacerdotibus, ut illud offerrent in sui memoriam.

*Quæst. 2.* Omnes Christiani debent-ne offerre Sacrificium Deo?

*Resp.* Cum duplex sit Sacrificium, interius scilicet, & exterius: certum est quod Sacrificium interius, quod in integra & universali oblatione quam Deo exhibemus in cordibus nostris consistit, non solum offerri debet à Sacerdotibus, sed etiam ab omnibus fidelibus, qui quantum in ipsis est profitentur hoc modo supremum creatoris dominium. At Sacrificium Religionis exterius, quod peragitur ad solemniter repræsentandum Sacrificium internum, perfectamque erga Deum subjectionem, quodque nihil aliud est, quam Missæ Sacrificium, non debet, neque potest visibiliter & externo ministerio offerri, nisi à Ministris ad id specialiter deputatis. Debent quidem omnes Christiani corde, & voluntate cum Sacerdote uniri,



*De Sacrificio Missæ. Cap. II. 23*

& unâ cum illo interiùs, & modo invisibili eandem offerre victimam, quam externo ritu Sacerdos Deo offert; quare Sacerdos ante consecrationem conuersus ad Fideles, ipsos admonet his verbis: *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile sit apud Deum Patrem omnipotentem*: Et, ut ait S. Petrus Damiani in opusculo de Dominus vobiscum. cap. 8. *A cunctis Fidelibus, non solum viris, sed mulieribus Sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri Sacerdote videatur*. Et in hoc sensu S. Augustinus Missam vocat *Sacrificium Christianorum*.

Et summus Pontifex Innocentius III. *Non solum offerunt, inquit, Sacerdotes, sed & universi Fideles. Nam quod specialiter adimpletur Ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto Fidelium*. Et hac de causa Fideles omnes dicuntur Sacerdotes in multis locis Scripturæ. In Apocalypsi cap. 1. *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*. Et I. Petri. cap. 2. *Ipsi tanquam lapides vivi super adificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales Hostias acceptabiles Deo per Iesum-Christum*. Unde videmus, quod Sacro-sanctum Missæ Sacrificium offertur ab omnibus Fidelibus modo spirituali & invisibili; sed illud idem Sacrificium impletur exterioriùs à solis Sacerdotibus qui vices Christi gerunt, cujus sunt Ministri visibiles, qui consecrant super Altare illam divinam Hostiam per verba quæ præscripsit illis Dominus Iesus-Christus, & illud offerunt solemniter Patri æterno propriis manibus.

*Quæst. 3. Sacerdos degradatus potest-ne validè Sacrificium Missæ offerre?*

*Resp. Certum est posse, quia, ut ait Divus*

S. Aug. lib.  
10. De Civitate  
Dei. cap. 6.

Innocent. III.  
De Myst. Missæ.  
lib. 3. c. 6.